

EP. Vos priores esse oportet, nos posterius dicere,
qui plus sapitis. **PER.** Eia vero, age dic. **EP.** At deridebitis.

AP. Non edepol faciemus. **EP.** Immo, si placebit, utitor,
consilium si non placebit, reperitote rectius.

mihi istuc nec seritur nec metitur, nisi ea quae tu vis
volo. 265

PER. Gratiam habeo; fac participes nos tuae sapientiae.

EP. Continuo arbitretur uxor tuo gnato atque ut fidicinam
illam quam is volt liberare, quae illum corrumpit tibi,
ulciscare atque ita curetur, usque ad mortem ut serviat.

AP. Fieri oportet. **PER.** Facere cupio quidvis, dum id fiat
modo. **EP.** Em, 270

nunc occasiost faciundi, prius quam in urbem advenerit,
sicut cras hic aderit, hodie non venit. **PER.** Qui scis? **EP.** Scio.
quia mihi alius dixit qui illinc venit, mane hic adfore.

PER. Quin tu eloquere, quid faciemus? **EP.** Sic faciundum censeo
quasi tu cupias liberare fidicinam animi gratia 275

quasique ames vehementer tu illam. **P.** Quam ad rem istuc refert? **E.** Rogas?
ut enim praestines argento, prius quam veniat filius,
atque ut eam te in libertatem dicas emere, **PER.** Intellego.

EP. Vbi erit empta, ut aliquo ex urbe amoveas; nisi quid est tua
secus sententia. **PER.** Immo docte. **EP.** Quid tua autem,

Apoecides? 280

AP. Quid ego iam nisi te commentum nimis astute intellego?

EP. Iam <simul> igitur amota ei erit omnis consultatio
nuptiarum, ne gravetur quod velis. **PER.** Vive sapis,

et placet. **EP.** Tum tu igitur calide quidquid acturu's age.

PER. Rem hercle loquere. **EP.** Et repperi, haec te qui abscedat suspicio. 285